

**Dissertatio medica inauguralis, de tetano ... / eruditorum examini subjicit
Edvardus Smyth.**

Contributors

Smyth, Edward.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gwrvgu3t>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TETANO.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TETANO;

QUAM,

ANNUENTE SUPTMO NOMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGH BAIRD, SS. T. P.

PROFESSORIS MEDICINAE IN ACADEMIA REGIA EDINBURGHENSIS;

RECENSIT

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

HONORABILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Digitized by the Internet Archive
in 2015

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

AD HOC AUCTORITATE CONSENSU,

EDINBURGH EXAMINI SUBMITTIT

EDVARDUS SMYTH,

Gradus,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Discere a peritis, sedui optimos, anxius intentusque
Tactus, in Pila Jussu Agnoscere.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA ELOCUTUR SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDERAT P. KEILL.

MDCCLXXV.

(11.)
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TETANO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI ;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS SMYTH,

Anglus,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Discere a peritis, sequi optimos, anxius intentusque.

TACITUS, *in Vita Julii Agricolaë.*

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

DISSERTATIO MEDICA

INAGURALIS

DE

TETANO

PATRI SUO CARISSIMO

DE

REVERENDO JOSEPHO SMYTH, A.B.

IN AUSTRIACA UNIVERSITATE MEDICA

DE MISEL-NOBILITATE IN COM. EDOR

D. JOSEPH SMYTH, A.B.

VIENNAE AUSTRIAE

MDCCCXXXIII

HOE OTUSCULUM

UNIVERSITATIS MEDICAE VIENNAE

QUALIFICATIO SIT

PRO OTUSCULO SIT

REVERENDI JOSEPHI SMYTH, A.B.

IN AUSTRIACA UNIVERSITATE MEDICA

DE

REVERENDI JOSEPHI SMYTH, A.B.

EDVARDI SMYTH, A.B.

VIENNAE

MDCCCXXXIII

HOE OTUSCULUM

HOE OTUSCULUM

HOE OTUSCULUM

HOE OTUSCULUM

EDVARDI SMYTH, A.B.

HOE OTUSCULUM

HOE OTUSCULUM

PATRI SUO CARISSIMO,

REVERENDO JOSEPHO SMYTH, A. B.

DE KIRBY-MOORSIDE, IN COM. EBOR.

VICARIO,

HOC OPUSCULUM,

QUALECUNQUE SIT,

SUMMA CUM REVERENTIA

CONSECRAT

FILIUS.

WECNON

AMICO SIO

PHOTHELLEY PANNEL M.D.

DE THE ATTON, IN COM. EDOR.

ARTEM MEDICAM RELICITUR COLENTI

ISUIS VISTUTIBUS

INSIGNI

HANC DISPUTATIONEM

GRATI ANIMI TIONIS

D. D. D. D.

AUCTOR

NECNON,

AMICO SUO

FOTHERLEY PANNEL, M. D.

DE AYTON, IN COM. EBOR.

ARTEM MEDICAM FELICITER COLENTI,

SUIS VIRTUTIBUS

INSIGNI,

HANC DISPUTATIONEM,

GRATI ANIMI PIGNUS,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUSEPTICIS

POTTERLEY PARNELL, M.D.

DE LITON, IN OMN. 1848.

TETANO.

PER VICTORIO

EDUARDO DE VILLALBA

HANC DISSERTATIONEM

OMNINO morborum quibus in hac parte
humani, pauci, et illi, quoniam hic de quo sunt
scriptura, tristicium, respectum, progressum, et
eventum habent. Quoniam multum de natura
huius morbi scilicet scripturae medici sceleres, et
antiqui et recentiores, multum tamen ad hoc inves-
tigatum accurate respiciunt, sive causam, sive sig-
norum rationem, et conatibus medicis speculatis.
Si res ita se habet, non quoniam, quare huius mor-
bi in ista regione, etiam ad hoc morbum

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TETANO.

EDVARDO SMYTH Auctore.

OMNIUM morborum, quibus implicatur genus humanum, pauci, si ulli, quam hic, de quo sum scripturus, tristiores aspectum, progressum, et eventum habent. Quamvis multum de natura hujus morbi lethalis scripserint medici solertes, et antiqui et recentiores, multum tamen adhuc investigationi accuratæ relinquitur, sive causam, sive signorum rationem, aut concilia medendi spectemus. Si res ita se habet, jure quæritur, quare juvenis medicinæ studium incipiens, talem seligeret morbum

investigare difficilem ; respondeo, me nulla vana spe aliquid novi dicendi esse inductum ; sed potius, cum primum mea studia incumberam, mihi occasionem fuisse duo aut tria exempla morbi videndi, et quamvis curandi modum rite perpendere, neque progressum signorum accurate notare vix quidem potuerim, tales tamen erant ægrorum cruciatus, et

“ Quæque ipse miserrima vidi,”
quales vix unquam obliviscendi sunt.

DEFINITIO.

Tetanus a Græco verbo *τείνω*, *tendo*, *extendo*, oritur ; et definiri potest,—Multorum musculorum contractio spasmodica, mente sana.

Systematici scriptores modum animadvertentes, in quo muscoli diversi in hoc morbo affiebantur, diversas enumerarunt species, quæ sub his satis apte comprehenduntur. Sunt Trismus, nempe, Opisthotonos, Emprosthotonos, Pleurosthotonos, et Tetanus.

(α) Musculis maxillæ præcipue inferioris laborantibus, Trismus nomen impositum est. CUL-

LENUS celeb. in ejus Nosologia recensuisse videtur Trismum et Tetanum, tanquam species distinctas; sed in alteram postea abiit opinionem, et ita dicit: "That he now considers all the several terms of Trismus, Tetanus, Opisthotonos, and Emprosthotonos, denote and are applicable to the same disease *."

(β) In Emprosthotono, flexoribus musculis antrosum inclinatur corpus.

(γ) In Opisthotono, extensoribus retrorsum; et,

(δ) In Pleurosthotono, ad alterum latus. Quidam hanc speciem morbi existere negarunt; sed hujus tamen exempla in medium protulerint FERNELIUS †, VALSALVA ‡, et MORGAGNI; et DE HAEN ||, de hac re loquens, eam bis asserit vidisse.

(ε) Quanquam Tetanus et antiquis et recentioribus temporibus, prout generica appellatio, acceptus est, nihilominus e scriptis CELSI §, ARE-

* First Lines, aph. 1257. † FERNELII Op. lib. 3. c. 5.

‡ MORGAG. Ep. 10. p. 76. || DE HAEN, cap. 10. tom. 3.

§ CELS. lib. 4.

TÆI Cappadocis *, &c. manifestum est, morbum, de quo agitur, (ut nomen ex origine pendet), ad hanc speciem strictius relatum esse, in qua musculi extensores nempe et flexores adeo æqualiter agunt, ut corpus extensum teneant.

Nuperius autem et ad usum medicum multo majoris momenti, in Acutum et Chronicum Tetanus dividitur †. Ille ejus cursum tam subito tenet, ut plerumque lethalis evadat. Dum in hoc mitiora sunt signa, et diutius perstant, adeo ut tempus detur remedia applicandi, quibus interdum, quamvis rarius, curatio inducta est.

Auctoribus etiam divisus est in Traumaticum et Idiopathicum, quasi e vulneribus aut aliis rebus oriturus. Hæc divisio optimis scriptoribus, ejus instar secundum diversos musculos implicatos minimi momenti recensetur, nisi illa species plerumque formam acutam, dum hæc chronicam induat.

* ARETÆI, De Morb. Acut. Sign. et Causis, lib. 1. cap. 6.

† Vide LARREY, Mem. de Chirurg. Milit. tom. . GUTHRIE, & MCGREGOR, Med. Chir. Trans, vol. 6. p. 455.

CAUSÆ.

Sunt Tetani causæ variæ. Plerumque vulnera sequitur, sed ex quo ille constitutionis status peculiaris, qui corpus facit morbo obnoxium, adhuc latet, et fortasse diu latebit. Hoc aliquid existere omnibus conceditur, sed ostendere nemo adhuc potest, quid sit. Quidam post fibrosæ texturæ et tendinum vulnera accedere crediderunt, sed, ut hæ partes non ex necessitate cum morbo connectantur, pauci in dubio sunt. Ex experimentis, quæ HALLER de sensu et irritabilitate harum partium instituit, nihil mali consecutum est. Opinobantur antiqui*, ictus fortes, et colli vulnera, nervorumque injurias, vi maxima pollere morbum excitandi. Porro LARREY etiam conjecturas protulit, ut ex nervis vulneratis oriri queat, quippe qui posteriore corpore læso, Opisthotonon, ex anteriore Emprosthotonon, et ex toto membro prorsus transfixo inductum esse Tetanum, vidisset†. Nullo medico, quatenus scio

* Vide CÆLIUS AURELIANUS et ARETÆUS, ut supra.

† Mem. de Chirurg. Milit. tom. iii.

facta est observatio similis, et probari postulat. Eques JACOBUS M^cGREGOR, de morbo dixit: "It occurred in every description, and in every stage of wounds, from the slightest to the most formidable, and followed the healthy and the sloughing, the incised and the lacerated, the most simple and the most complicated *."

Aëris status haud minus agere videtur, in corpus faciendo huic morbo proclive, præsertim sub humidis anni tempestatibus, subitis temperiei vicissitudinibus, a calore nempe ad frigus, aut nocturnis roribus. Incertis intervallis ingreditur; sed Eques JACOBUS M^cGREGOR notavit, si ante vigesimum secundum diem post acceptum vulnus, haud adoritur, incolumen esse ægrum. Secundum antiquorum scripta morbus interdum ulcere inducitur. Hujusmodi HIPPOCRATES casum TIMONIS narrat †. Nonnunquam, ARETÆO judice ‡, ex abortu supervenit; et hanc observationem Doctor CHRISTIE in Insula Ceylon

* Med. Chir. Trans. ut supra,

† HIPPOCRATES, De Morb. Popular. lib. vii. 476.; Oper. omnia, Basileæ, 1546; etiam, vide Aph. 21. lib. v.

‡ Lib. De Morb. Acut. cap. vi. p. 3.

confirmat,* qui dicit haud infrequenter post partum accedere morbum, cujus exemplum vidit, quod indigenis medicis statim insanabile prædictum est, et prædictum confirmabatur.

Inter causas frequentissimas, vulneribus proximæ, frigus et humiditas, jure habentur, præsertim si corpori sudanti applicantur. In puero, quem nuper vidi affectum, morbus originem trahere videbatur, a se aquis proluendo, die calido. Dicit CÆLIUS AURELIANUS †, ad frigus expositionem sub nocte, post intemperantiam vini, morbum facile excitare. Ad hanc observationem probandam, DE HAEN atque MORGAGNI morbi exempla ediderunt. Quinetiam vermes et acria ingesta intestina plus justo stimulantia, haud infrequenter excitant.

Quidam cœli, et inter infantes meconium retentum, necnon injuria funi umbilicali illata, solæ causæ existimantur. “ Besides these,” inquit CULLENUS celeb. “ there are perhaps others, but they are neither distinctly known, nor well understood.” Aliquibus dictum est, ut morbus quo-

* Edin. Med. & Surg. Journal, vol. viii. p. 415.

† Lib. iii. cap. 6.

que inducatur, ad radios intertropici solis, expositione. Porro Tetanus in calidis quam in frigidis regionibus frequentius occurrit: “ tam in Indiis familiaris est affectus,” ait BONTIUS *, “ ut merito inter endemios et populares morbos numeretur.” Nonnunquam vero in frigidis, præsertim sub forma Trismi nascentium, et montanis præcipue regionibus. Haud infrequenter adoritur inter Scotiæ montana et insulas, quarum maxima obnoxia est Sancta Kilda: nec non inter Helvetios frequentius quam Gallos. Ab Equite G. S. MACKENZIE scriptum est †, maxime affectos esse infantes in plurimis insulis, quæ Westerman Ey-mar nominantur, apud australem Icelandiam sitis. Quarum in una ducenti recensentur incolæ, qui a continente ad numerum omnino fere sustinentur emigrando: et pro viginti annis ultimis vix cognitum est, ut infans infantiae superstes sit. Plurimi septimo die pereunt, et pauci decimo superstites sunt. Frequentius quoque æstate et autumno est tetanus, quam hyeme et vere, nec non in paludosis quam in siccis locis. Et qui tempe-

* BONTIUS, De Med. Ind. lib. xxi. cap. 2. Parisiis, 1645.

† Travels in Iceland.

ramento sanguineo gaudent, et irritabiles præ aliis dicuntur magis proclives,

“..... viribus ille
Confusus periit, admirandisque lacertis *.”

Omni vitæ tempore aggreditur, sed infantes et qui media ætate, quam juvenes et senes, magis obnoxii.

Humanam gentem haud solam depascitur: similibus causis inducitur diversis animalibus. Equi, psittaci, et agni juvenes pariter pœnas lunt. Doctor RUSH Philadelphiae, equos duos morbo affectos vidit curatos, potentialem cauteriam applicando collo, magnis dosibus olei succini, necnon copiosa affusione aquæ frigidæ †.

SIGNA.

Auctores in contrarias sententias trahuntur de primo signo: alii, id colli et maxillæ inferioris rigore incipere dicunt, alii trahente et pungente dolore diaphragma versus. Priusquam vero alteruter se manifestat, interdum accedunt ‡ extre-

* JUVEN. Sat. † DUNCAN, Med. Comm. vol. xi. p. 188.

‡ MORGAGNI, Ep. 10.

morum spasmi *, haud raro oscitatio et astrictus alvi status ; alias, inquit BONTIUS, “ tam repentinus ac subitus est aliquando ejus impetus, ut dicto citius homines rigidi non secus ac statuæ permaneant, dum vel in anteriorem vel in posteriorem corporis partem, muscoli involuntario motu, versus suum principium trahuntur †.” Dum ingravescit colli et inferioris maxillæ rigiditas, fere semper eodem tempore apud linguæ radicem sentitur molestia, quæ paulo post deglutitio difficilis evadit, et demum absoluta ejusdem jactura ; quo fit, ut facto aliquo devorandi nisu, admodum horrendæ excitentur convulsiones, quæ ægrum reddent invitum iterum tentandi, vel si animum habet ita facere, quodcunque capit, sæpe per nares instanter protrudatur. Ad talem vim hoc aliquando crescit, ut æger visum ipsum perhorreat liquidorum, hominis instar hydrophobia laborantis. Paulo post inceperunt spasmi in una parte sterni, aut diaphragma versus : omnes afficiuntur colli muscoli qui caput antrorsum sive retrorsum trahunt, secundum diversum modum, quo impli-

* Vide CÆLIUS AURELIANUS et DE HAEN, ut supra.

† Cap. ii. lib. 23.

cantur. Cito simul plectuntur dorsi, abdominis, pectoris, et extremorum musculi, præcipue pectoris, qui difficilem reddunt respirationem, præsertim sub paroxysmis. Sunt per totum morbum, tensi et duri abdominis musculi. In quibusdam exemplis tactui sensum dant, quasi duræ tabulæ. Doctore CULLENO notatur, prodire aliquid insigne, " that in this general spasm, the fingers should often preserve their flexibility to the last." Afficitur lingua inter ultimos musculos: attamen morbi finem versus, sæpe vi protruditur, et ita frequenter convulsivo maxillæ inferioris motu maxime læditur, quod sæpius accidit. Porro flexorum capitis et trunci corporis actio spastica demum æqualis fit eidem extensorum, et ita corpus extensum tenet, vero Tetano originem datura. Quinetiam hanc generalem actionem spasticam adeo participant universi corporis musculi, ut ARETÆO factum sit certum, affici auris etiam minimos. Sub morbi progressu* et interdum ab

* Vide Dr CHAMBERS's Med. Observ. and Inq. vol. i. —Dr O'BEIRNES's Dublin Hospital Reports, vol. iii.—DE HAEN, Ratio Medendi, tom. iii.; and Dr STOLL, in Edin. Med. & Surg. Journal, vol. viii.

initio, nonnunquam gravis oritur dolor spinalem canalem versus. Nunquam vero supponendum est, omni tempore æqualiter urgere spasmos, frequentes enim sunt exacerbationes et remissiones, et sub his adest doloris fere vacuitas, et ægri, pro rata parte, bene se habent, quamvis prorsus immunes contractione nunquam musculi sint.

Quæ constitutionem corporis afficiunt sub his ærumnis horrendis, signa pro rata parte lenia sunt, et ex productis doloribus, viribusque inde exhaustis, maxime videntur oriri. In Tetano Traumatico multum pendet ex statu, in quo corpus tunc vulnere afficitur. Generaliter morbo ineunte, rarius pulsus multum afficitur, sed cum eodem progrediente, variat a parvo ad pleniorē, et postea ab eo, ad unum frequentem et irregularem. Simili in modo etiam laborat respiratio, sed sub remissione ad pristinum statum et pulsus et spiritus redeunt. Plerumque haud increscit corporis calor, quamvis in casu quem DE HAEN retulit*, thermometro indicatur ad centesimum primum gradum, sive secundum aut tertium. Ex spasmis vehementibus et frequentibus, sudores ca-

* Rat. Med. tom. iii. p. 190.

lidi sæpe corpus totum humectant. Sanguis detractus, nisi corpus prius inflammationem subiisset, quam morbus accessit, solutam induit texturam, neque post mortem coit; citiusque corpus ad putredinem tendit. Lingua, Equite JACOBO M^cGRIGOR judice, humida est. Urina rubra, et sæpe, ARETÆI verbis, supprimatur, “ad insignem meiendi difficultatem *,” et tantum evacuari potest vesicam comprimendo. Frequentius vero spasmodica contractio abdominis musculorum, et fortasse vesicæ ipsius, spasmum superat sphincteris, et urina vi maxima rejicitur. Alvus magnopere astricta; quod magnopere originem trahit fortasse ex vitiatis actionibus intestinorum fibrarum musculosarum, quæ in nodum durum sursum sæpe trahuntur; et adeo generalem participant spasmum, ut sub paroxysmo, enema ne quidem propelli queat maximis viribus.

DURATIO MORBI.

Plerumque Tetanus acutus morbus est; cujus signa rapide augescunt, et paucis in diebus ægri

* ARETÆUS, ut supra, lib. i. p. 4.

vitæ finem imponunt. In his verbis HIPPOCRATIS Aphorismus, Ὁ κόσμος ὑπὸ τετάνου ἀλίσκονται ἐν τέσσαρσιν ἡμέρησιν ἀπολλυνται· ἐν δὲ ταύτας διαφύγῳσιν, ὑγίειες γίνονται *. Plerisque scholiastis ἀλίσκονται simpliciter Latine redditur, “*exercentur*,” vel “*capiuntur*,” et in hoc sensu Græcum intelligisse DE HAEN videtur, qui, collatis HIPPOCRATIS operibus, in diversis partibus, ostendere profusius conatus est, aliquem se insinuare errorem, in ejus scripta. Ejusdem opinionis VAN SWIETEN etiam fuit †. MARTIANUS alique eum corrigere tentaverunt, supponendo, quartum decimum HIPPOCRATE intellectum esse diem in Aphorismo. Hæc autem sententia facilius purgari potest, et ipsa auctoris verba conservari, ac nunc legitur, Latine reddendo ἀλίσκονται, “*abunde exercentur*,” ut suam originem ex ἀλῆς, “*abunde*,” patefacere videtur. HEURNIUS ‡, in Commentariis de hoc Aphorismo, hanc sententiam ita Latine vertit: “Quos Tetani magna vis exercet; quartam diem intereunt. Quodsi hos effugerint, Tetano levantur, et sani

* Lib. v. aph. 6.

† VAN SWIETEN, Commen. 722.

‡ Vide p. 322.

evadunt.” Quin et in nota brevi subnectit, *ἀλίσκονται* magnitudinem mali denotat. Præterea consentaneum est multo melius, illi, quod hic eximius vir dixit in aliis operum partibus*. Hic aphorismus igitur, me iudice, ad hanc morbi speciem, quæ jam Acuta est nominata, attinet; et quamvis ejus finem versus aliquid obscuri insit, tamen ejus ratio aliquo modo reddi potest ex diverso cœlo, et eorum constitutione, qui isthuc temporis Græciam incolebant, et ex eadem nostrum, qui sub frigidioribus regionibus vitam degamus. Porro recentiores et hodierni auctores, qui medicinam sub calido cœlo fecerunt, omnes consentiunt, quandocunque morbus lethaliter desinit in plerisque exemplis citissimum esse ejus incessum. “When the disease forms very quickly,” ita loquitur Doctor CHAMBERS †, “and invades the unfortunate patient with all its mischievous symptoms in a few hours, the danger is proportionate to the rapidity of the attack, and the patients thus seized die within twenty-four, thirty-six or forty-eight hours.” Doctor DICK-

* Vide Lib. De Morbis, p. 221, & 222.

† Med. Obs. and Inquiries, vol. i. p. 92. et seq.

SON*, nec non Eques J. M^cGRIGOR, asserunt morbum secundo, tertio aut quarto die necare, et ultra octavum rarius induci. Nonnunquam vero in exiguiissimo tempore vitam extinguit. “Cru- dele malum,” dicit BONTIUS†, cum summo cru- ciatu miseros mortales intra brevissimum spatium temporis e vivis ad mortem rapit.” Contra vero Tetanus Chronicus fere semper longius durat. Nonnunquam haud exiguum tempus permanet, interdum hebdomadas. De multis hujusmodi exemplis quæ in diversis libris narrantur, dubium jure est, annon veram induxerint morbi speciem; aut tantum quædam signa essent, in modum mu- tata hysteriæ, quæ singularis et omnium morbo- rum maxime mutabilis est, Proteo fugacior. Haud autem negandum est, multa Tetani ex- empla pro haud brevi tempore perstare: et quæ- dam narrat HIPPOCRATES quadraginta dies du- rantia; et FORESTUS et ARETÆUS aliorum mentionem fecerunt, et illis creditum est, per vi- tam persistentium.

* Med. Chir. Trans. vol. vi. p. 453, & vii. p. 450.

† BONTIUS, De Med. Ind. ut supra.

PROGNOSIS.

Quocunque in modo adoritur, sub quali forma se patefacit, valde lethalem esse Tetanum, omnibus convenit. Annales etiam Exercitus nostri memoriæ prodiderunt, tristissimum et fere semper esse ejus eventum; cujus ratio haud facile reddi potest. Haud pendere videtur ex injuriæ vi; lene enim vulnus tam violentum et rapidum morbum inducet, quam magna injuria, ubi extremitatum una laceratur ac amovetur, tormento exploso: neque attribuendum est minori attentioni, aut militibus haud bene accommodatis: quippe quia infelix est eventus pariter in optime institutis nosocomiis, ac belli campo; et in bello recentiori ex numeris et literis medicinam facientium apud exercitum, ægrotantes tam bene curati sunt, quam quisque privatus. In medicinam faciendo privatim tamen, morbi exitus haud prorsus funesti sunt: quod mitiori formæ, quam morbus induit, et numerosis casibus idiopathici Tetani, magna saltem in parte, attribuendum est. Multum quoque periculi ac mortes subitæ e cœli calore pen-

det, et quo propius polis, sive septentrionali, sive australi, eo tardior morbus, et eo minus periculi. Morbus quodammodo, ut videtur, ex sexu, ætate, atque constitutione, pendet. ARETÆUS* et Doctor ANDERSON† pariter affirmant, mitiorem esse prima quam media ætate, in fœminis quam maribus, in debilibus quam robustis. Doctor PARRY supponit regulam dare pulsum, qua judicare possumus, et ita dicit: “That if the pulse by the fourth or fifth day does not reach 100 or perhaps 110 beats in a minute, the patient almost always recovers; if, on the other hand, the pulse on the first day is 120, few instances will, I apprehend, be found in which the patient will not die ‡.” Concludere igitur licet, ubicunque subito non superveniunt signa, et morbus minori vi et rapiditate progreditur, et medicamenta bonum videntur inducere effectum, curationem sperandi esse locum. Contra vero si pariter inefficacia viderentur remedia omnia, et nulla nobis esset morbum mitigandi facultas (quod nimis frequenter accidit), majori vi omnia gradatim ingravescent, æger perpetuo

* Lib. i. cap. 3. † Med. Chir. Trans, Ed. vol. i. p. 185.

‡ On Tetanus and Rabies contagiosa, p. 18.

tenetur cruciatu, per exiguum tempus vix suspenduntur spasmi, qui, quoque paroxysmo, magis magisque augescunt. Magis generales evadunt musculorum contractiones, et magna violentia diverso in modo projicitur corpus, et æger, ne plus injuriæ capiat, adstantium cura solum conservatur. Collapsus tunc fit vultus, “ quinetiam cutis tota squalens asperaque corpori obtenta est*.” Copiose erumpunt “ sudores forte et fere continui†;” et haud distincta est loquela. “ Dentibus strident, ac murmur inconditum vice vocis humanæ edunt, tanquam ii, qui e cella subterranea loquuntur‡.” Excitantur palpitationes violentæ; oculi suffui et languidi, et “ nil medico promittentes.” Arcissime clauduntur maxillæ, adeo ut intrent neque medicamenta neque cibus. “ Vigiliæ ad opiata passim rebelles, et si dormitur, somni sunt pauci, breves terrifici, cum rigidarum tendinum subsultu||.” “ Si morbus aliquid organon vitale adoriatur, (misero felix), facile migrat e vita.” Si non vitalem partem afficiat, adveniunt delirium et mentis anxietas, et tristis-

* ARETÆUS, ut supra.

† DE HAEN, ut supra.

‡ BONTIUS, ut supra.

|| DE HAEN.

simum est spectaculum, quod quisquam aspicere potest,

“ Quis tam ferreus teneat se * ? ”

In verbis eximii ARETÆI, “ inhumana calamitas, injucundus aspectus, triste intuenti spectaculum et malum insanabile : votum quoque illis, qui adsunt, prius impium nunc honestum ! efficitur, ægrum vita defungi, quo una cum vita doloribus acerbis liberetur. Præterea hic medico sensus ingratus est, ut sua ars nil levaminis afferat. Sed paulo ante mortem ægro mens sana est, et laxati evadunt | musculi ; nihilominus tamen continuo et gravi spasmorum impetu, sive generali convulsione, e vita rapitur.

DIAGNOSIS.

Quamvis hic morbus admodum insignis est, tamen, ut jam dictum est, quædam sunt affectiones, quibuscum Tetanus confundi potest, præsertim cum omnium maxime mutabili, Hysteria,

“ Cui jus est transire figuras. ”

Sexus igitur, ætas, constitutio, et causæ, quibus

* JUVENAL,

Tetanus inducitur, nobis viam patefaciunt in diagnosi facienda. Imprimis ægrotantium historia prævia, necnon eorum vitæ habitus, tam maxime juvabunt, quam temporis duratio, ad quam morbus producitur. Quinetiam cum ille pro aliquo tempore substitisset, interdum sunt ejus exempla, in quibus dubium est, ad qualem speciem referantur: et hujusmodi casum Doctor HOME interpretlegendum protulit, qui uxori occurebat juvenis, qui in medicinam hic incumbibat, quam et Doctor GREGORY et ipse curavit.

Nonnunquam vero Tetanus, ut jam dictum est, unum ex signis simulat, ejus admodum horrendi morbi Rabiei Caninæ; sed de hoc parum dubii diu perstare potest, si causam, modumque accessus rite perpendimus. Namque in Hydrophobia, adest aquæ fastidium et horror, veluti ejus signum primarium: dum in Tetano haud accedit, nisi pro aliquo tempore morbus substitisset, et tunc solum excitatur ejus timore, utpote generales convulsiones dolentes cientis, quas nissus devorandi infert: "In hydrophobia," etiam inquit Doctor PARRY, "it is the upper part of the trachea which is affected first. The local convulsions, too, are not brought on by swallow-

ing, but by a very quick impulse of air, such as is actually known to put out of breath young persons, whose respiratory organs may readily be supposed to be in an irritable state *."

SECTIO CADAVERUM.

Patefacto cadavere, morbidæ mutationes quas subiit corpus, diversis auctoribus admodum diversim descriptæ sunt: adeo ut paucissimæ quarum in aliqua variatione a sano statu conveniant. Hoc VALERIUS MAXIMUS pulcherrime depinxit †; his verbis: "Finis namque vitæ nostræ variis et occultis causis expositis, interdum immerentia supremi fati titulum occupare, cum magis in tempus mortis incidant, quam ipsam mortem accersant." Nonnunquam invenitur lenis effusio in capite. In altero exemplo, MORGAGNI ‡ nihil nisi paululum aquæ in sinistro ventriculo: in altero ||,

* Dr PARRY ut supra, p. 74.

† Fact. et Dict. Memorab. lib. ix. cap. 12.

‡ MORGAGNI, Ep. 10. Obs. 2. p. 70.

|| MORGAGNI, Epist. 54. Obs. 49. p. 332.

haud parvam aquæ copiam sub pia matre et ventriculis, observavit. In uno cadavere, Doctor PARRY *, plus sanguinis invenit, quam in cerebri substantia solet, et in altero †, vasa sanguinea piæ matris præter solitum sanguine distensa. Plerumque œsophago inest inflammatio aliqua, et villosæ tunicæ ventriculi circa præcordia. LARREY ‡ et laryngem et œsophagum reperit multum contractos, et viscido mucro subflavo obductos. Vermes quoque in intestinis ægrorum multorum invenit, quod etiam notarunt SCHENKIUS ||, HEISTER, RIVERIUS, MORGAGNI, DE HAEN, et Doctor O'BEIRNE §. Quidam eos semper adesse sine dubio affirmant. Vitia quoque canalis intestinalis ABERNETHY ¶ et HEARTELOUP viderunt. A Doctore STOLL ** describitur jejunum lividi rubri coloris, et colon, statim antequam in rectum desinit, præter solitum vasis san-

* PARRY's Cases, &c. p. 11. † Id. p. 2.

‡ Mem. de Chirurg. Milit. tom. iii. p. 287.

|| DE HAEN, Rat. Med. tom. iii.

§ Dublin Hospital Reports, vol. iii.

¶ COOPER's Surgical Dictionary, art. *Tetanus*.

** Edin. Med. & Surg. Journal, vol. . p. 174.

guineis majoribus et magis numerosis obductum, in una parte, ruberrimi coloris, in alia, lividi. Ejusdem coloris erat mesenteria contigua. Haud multo diversa Doctor MACARTHUR edidit*. Hi vero duo auctores, jam dicti, aliquid dubii habent, num hæc patefacta, congestione aut inflammatione sunt inducta, ob comprimentes abdominis musculos. Quamvis enim Doctor MACARTHUR partes quasi inflammatas describit, tamen dicit, "That they differed from enteritis in there being no formation of pus, no coagulable lymph thrown out, nor any adhesions formed of the convolutions of the intestines together, nor to the abdomen." Nuperius quædam morbida detecta sunt in spina, cujus disquisitio haud prætermissa est ab indefesso MORGAGNI†, quippe qui in casu, in quo fuit effusio in cerebri ventriculum, haud parvam ex canale vertebrali effundi fluidi quantitatem, dixerit. Lumbos sacrumque levando, Doctor SAUNDERS‡ semper inflammationem, et turgida vasa sanguinem vehentia, detexit, et

* Med. Chir. Trans. vol. vii. p. 475.

† Ep. 54. p. 332. obs. 59.

‡ Edin. Med. & Surg. Journal.

circa tuber annulare, medullam oblongatam, et spinalem. In Trismo hæc, dicit, in multis exemplis tuber annulare circumdidisse, medulla spinali sana. Quam observationem Doctoris SAUNDERS confirmare videtur casus, qui nuper hic in Nosocomio occurrebat, et in quo inventa est peculiaris subflava effusio, inferiorem partem medullæ spinalis obducens, cum fortibus vestigiis inflammationis.

RATIO SIGNORUM.

Ex omnibus patefactis in eorum cadaverum sectione, quos morte subita correpit Tetanus, patebit, quam minime satisfaciunt, et quam parum opis afferunt, ad morbi pathologiam explicandam. Ad hanc rem autem varii facti sunt conatus, sed evanescent singuli, ut vestigium undæ in oceano, ante eam succedentem evolat. Hanc partem operis reliquerunt doctissimi veluti inexplicabilem; sed quia mancum esset tentamen hujusmodi sine rationem signorum reddendo, quæ quovis in morbo maximi momenti; hoc absolvam breviter, unam alteramve eorum seligendo, quæ hic temporis maxime valent. Ex felice successu, pro rata

parte, in purgantium usu, e constipato statu intesti-
norum, notisque inflammationis et irritationis quæ
iisdem insunt, his pro sola causa attribuere multi
inducti sunt, hunc morbum cum variis ejus signis.
Desunt multa, quæ de hac re alicui ratiocinanti
bene satisfacient; et ex argumentis minime satis-
facientibus probari videtur. Sin autem hæc proxi-
ma causa morbi est, quare injuriam externæ parti
illatam sequitur in novem ex decem exemplis?

Alii ad consensum inter corporis partes phæno-
mena referunt, sed hæc opinio, priusquam confir-
mari potest, data plurima postulat, quamvis Doc-
tor WHYTT et alii de hac re pulcherrime scrip-
serint, quam adhuc habemus. Contra vero, si
unquam bene stabiliri queat, tunc præcipua signa
morbi, utpote spasmos, hac vi peculiari, propa-
gari et continuari, valde probabile est: viresque
acquirere opinio videtur, ex spinæ sectionibus in
morbo, quæ Doctore SAUNDERS et aliis patefiunt.
Num causæ sive effectus sunt, ex præsentī statu
scientiæ nostræ dictu perdifficile est. Plurima
experimenta, quæ BRODIE, PHILIP, BELL, &c.
in nostra regione, sed præsertim LE GALLOIS,
Parisiis, instituerunt, de functionibus cerebri et
medullæ spinalis, aliquo futuro tempore promit-

tunt lucem ferre. Probabile etiam videtur, fontem morbi esse spinam, cum videmus, quam minime affectæ sunt sensorii functiones, dum maxime convelluntur muscoli motus voluntarii, et porro ubi nobiscum reputamus de dolore, qui ab initio spinam versus, sæpius gravius, sentitur, et identidem remediis applicatis haud parum levaminis accipere.

MODUS TRACTANDI.

Contravim morbi contendere tentati sunt diversi modi, diversis temporibus: sed ex fere simili infelicitate, quæ omnium perpetua comes est, tenues supersunt spes curandi, sub ulla conditione. Hoc præsertim verum est de forma morbi, cui nomen imponitur Tetanus Acutus, qui peritiam sagacissimorum fere semper decepit. Idem præcipue inventum est in Exercitu, cujus medici uno ore veritatem testantur hujus observationis. In conspectum faciendo diversorum remediorum, quæ sive diversa signa levare, sive morbum curare videantur, cum venæsectione incipiam.

Venæsectio.—Diversis temporibus adhibita est sanguinis missio, quæ aliis magnopere laudata est, dum aliis contra pariter minimi æstimata. Experientia demum litem pene diremit, usum negando, quamvis multis peritissimis artis salutaris ad copiosam illius laticis detractionem decursum est. Nec mirandum est, ubicunque laxantem perpendimus effectum, qui larga sanguinis detractione inducitur, in corporis vires, et musculosas et nervosas: et quamvis hujus remedii usus generaliter nunc omittitur, tamen jure quærat, num sub quibusdam saltem rebus, non rite adhibeatur, veluti sub robusto corporis habitu, cum spinæ abdominisque regiones maxime dolent: necnon in Tetano Traumatico, quando signa ex admodum inflammato vulneris statu oriuntur. Hoc magis in aprico erit cum sanguis, ut in quibusdam casibus *, jam missus, coriaceam tunicam induit. Docet CELSUS †, venæsectionem in omnibus adhibere solitum esse ASCLEPIADEM, et quamvis indefinitum ejus usum non probat sine limitibus, tamen sub aliquibus exemplis, rite fac-

* Vide a Case in Med. Chir. Trans. by Mr EARLE.

† Lib. iv. cap. 3.

tam esse credit. Porro ARETÆUS* et BOERHAAVIUS† soliti sunt copiosam missionem sanguinis præscribere, et hic præcipue, simul cum “diæta emollientissima.” Qui, morbum de quo agitur, solvere conati sunt, maximus est auctorum numerus, et multum augetur, et omnem includere medicum celeb. potest ab HIPPOCRATIS tempore fere ad nostram ætatem usque. In casu jam dicto, quem Dominus EARLE retulit, signa videbatur mitigare. Maxime quoque laudant, qui simul cum Equit. JACOB. McGRIGOR in Hispaniæ bello medicinam faciebant: et Doctor MACARTHUR hoc remedio cum commodo usus est. Dominus HARDY, navis Jason dictæ chirurgus‡, dum in India Occidentali fuit, sanguinis detractionem in casibus Tetanum minitantibus, simul cum opio et purgantibus, adhibere solitus est; et quamvis plurima acciderunt vulnera, tamen nunquam morbi exemplum vidisse, dicit. Dom. BURMESTER||, quoque casum retulit, in quo sanguinis detractio, simul cum balneo calido et hydrargyro,

* De Cur. Morb. Acut. lib. i. p. 85.

† Prælectiones, cura VAN ELMS, tom. i. p. 71.

‡ Med. Chir. Trans. vol. vii. || Id. vol. xi. p. 384.

maximum levaminis videtur attulisse. Sed in hoc casu ac in omnibus morbi aliis, cujus pathologia tam parum intelligitur, ubi sub eodem tempore plura uno administrantur remedia, dictu perdifficile est, quibuscunque eorum, quæ in usum veniunt, levatio attribuenda est. Hic vir jam dictus, sanguinis missione uti videtur inductus, pulsu pleno et frequente, quo pacato prorsus confisus est diaphoreticis, cum aperientibus ut res postulent.

Emetica.—Hæc interdum commendata, paucisque administrata, sunt. Sin autem suspicari liceat, onere cibi haud bene concocti aut assimulati infarctum ventriculum, nullum est dubium, quin adhiberi debeant. Ad hanc rem promovendam, dosis fortissima valet, et quæ ventriculum instanter ciebit, veluti solutio Sulphatis Zinci, aut Cupri, quæ admodum apta est. Quanquam parum aut nil expectandum est, ex emeticis ad vomitum adhibitis, nihilominus cum administrantur, ad cutis vasa excitanda sanguinem vehentia, maximi momenti sunt. Sed de hoc fusius loquendi locus erit.

Purgantia.—Hæc ob utilitatem, quam inferunt, nuperrime maximam sibi attentionem vindicarunt; quorum usum diversi scriptores, et nullus, quam Doctor HAMILTON hujus urbis, commendare gnaviter se accinxerunt. Haud patet tamen, hanc classem remediorum neglexisse antiquos, qui contra, eadem administrasse videntur, præsertim sub forma enematum. HIPPOCRATES Heleborum solebat adhiberi*; et ARETÆUS signa morbi, distincte dicit, mitigari alvum solvendo. Secundum CÆLIUM AURELIANUM†, eorum usu DIOCLES haud parum nitebatur, et PRAXAGORAS, HERACLIDES Tarentinus, et ASCLEPIADES, ad effectum magnopere spectant clysteribus inductum, quos hic maxime exhibuit, “acerrimos etvehementer operantes.” Apud tempus, quo Dr CULLEN Primas Lineas scripsit, lis sub judice fuit, annon intestinorum status astrictus, sit curationis modi effectus aut morbi ipsius? Isthuc temporis in opii fide solum videbantur requiescere. Sed nunc factum est certum pertinaciter constringi alvum, quod solum satis est eorum remediorum indicare

* HIPPOC. Lib. de Morbis, 3. p. 221.

† CÆLIUS AURELIANUS, lib. iii. p. 191. et seq.

usum : et inter omnes medicos convenit, semel saltem in viginti quatuor horis alvum solvere. Ad hoc promovendum, sæpius, ut dentur fortissima purgantia, opus est, magnæ præsertim doses Calomelanos ; et sæpe alvum evacuare prorsus difficile est : plerumque tamen facilius solvetur alvus. Calomelani simul cum infuso Sennæ et Sulphatis Magnesiae, præcipue confisi esse videntur medici, qui in Exercitu artem suam colunt. Perutile est Oleum ricini, veluti adjuvans, et illis, præscribitur largissime, salutarem artem privatim exercentibus.

Ex testimoniis, quæ adhuc illata sunt, ad hunc modum medendi, haud apparet, ut purgantibus solis inter adultos niti debeamus, et in multis morbi casibus dubium est, annon levamen purgantibus, vel salivæ secretioni calomelane inducæ tribuendum sit ; quia sæpe observatum est, haud bene evacuari intestina, donec creatur saliva. Quinetiam observat Eq. J. McGRIGOR, “ That the operation of calomel on the bowels was always useful, and singularly so in the mild disease distinguished by the spasms coming on slowly, and continuing of the same degree of violence, instead of their sudden accession, and their

continuing with increasing violence as happens in acute Tetanus. In this the patient was carried off before the medicine could have any effect*." Patet igitur hunc virum hujus remedii operationi aliquid peculiare attribuisse.

In Trismo nascentium qui ex retento meconio adeo frequenter originem trahit, haud ita dubius est purgantium usus, et plerique medici consentiunt, his eventus felicissimos esse illatos. Cum hoc consilio plerumque in talibus dosibus administratur Oleum ricini, ut plures evacuationes in die obtineantur. Annon utilis sit etiam Calomelas ac a Prof. HAMILTON præscriptus in curanda cynanche tracheali, quæ haud minimo in gradu particeps videtur spasmodicæ actionis in larynge et trachea?

Hydrargyi usus.—Si varii medici de natura et consilio medendi in hoc singulari morbo acriter contenderunt, de hoc remedio adhibito, haud minus, in contrarias, inierunt sententias. Hoc Doctor D. MONRO aliique nostrates magnopere laudarunt, dum alii tam multum rejecerunt. Pa-

* Med. Chirurg. Trans. vol. xi. p. 456.

risiis multo plus adhibitum est, quam in hac regione, et multo meliore successu. Ad obtinendum ejus effectum plenum Doctor M^cGREGOR id infricari suasit, et per totam corporis superficiem *. Ad hanc sententiam tuendam, casus duos retulit, quorum uno, saliva in viginti quatuor horis ciebatur, cum signis evidenter mitigatis. Hic æger in duabus hebdomadis ad officium rediit. In altero iidem effectus medicamento inducti sunt: quamvis signa tardius recedebant. Hydrargyrus ad acutam speciem morbi haud videtur aptus, et Dom. S. COOPER dixit †, ut, et LARREY in Ægypto et nostri medici in bello Peninsulæ, limitibus indefinitis remedium adhibuissent, et sine ullo commodo.

Quomodo hoc medicamentum agat, dictu difficile est. Doctor HOME inter prælegendum observat, ut agat vermes necando, aut amovendo aliquam chronicam inflammationem, quæ morbum excitaverit, aut salivarias glandulas stimulando, ad partem primario affectam proximas.

* On Diseases of the 80th Regiment in India; Edin. Med. & Surg. Journal, vol. i.

† Vide Dictionary, art. *Tetanus*.

Tonica et Stimulantia.—Doctor RUSH Philadelphiae *, post infelicem opii usum in variis casibus morbi, conatus naturam ejus causæ proximæ investigare, demum ascribere inductus est relaxationi et debilitati, quæ valde duro labore, caloris expositione sub longa itinera facta, erant illatæ. Hinc illi persuasum est, magna in copia et cinchonam et vinum præscribere. Ex his præscriptis, et ille quosdam casus, et alii postea alios protulerint, felicissime desinentes. Dum alii morbum attribuerunt exhaustis sensorii viribus †, et vinum et liquores spirituosos præscripserunt, qui quamvis maxima in copia etiam fœminis delicatis sumpti, haud minimam febrem excitarunt, sed evidenter mitiora signa reddiderunt.

Diaphoretica.—Ex copiosis sudoribus, qui morbo tam frequenter accidunt, conari natura videtur, his viribus laxantibus, corpus levare : et medici ejus vestigia prementes, diaphoretica sæpius administrarunt, quorum utilissimum est balneum

* Vide DUNCAN'S Med. Comment. vol. xi. p. 187.

† DUNCAN'S Med. Annals, vol. iv. p. 389.

calidum, ejus temperies, secundum Doctorem CHALMERS, velocitate pulsus, tempestatis calore, et corporis superficie, temperanda est. Idem medicus præmonuit, sanguinis detractionem, adeo ut ægrotans, vasis sanguineis depletis, balnei effectum melius sustineat. Hæc operatio etiam ad relaxationem proclivitatem auget, et ita diaphoreticorum effectum promovet. "The length of time," inquit Doctor C. "a patient should remain in the bath, will be indicated by the pulse becoming soft and full;" et superaddit, "when the patient is taken up, he is not to be wiped dry, but must be wrapped in a dry blanket, and put to bed, in which he usually sweats freely*." Sudatio promoveri potest, opium cum ipecacuanha dando, forma Pulveris DOVERI; opio postea in magnis dosibus, vel in substantia, vel in forma tincturæ, frequenter repetito. Si morbi levamen obtinetur, frequenter repetendum est balneum, ejus vires semper calido lecto promoventur. Doctor MORRISON† præcipue indicari balneum monuit, cum sæpius occurrunt spasmodicæ con-

* Med. Obs. and Inquiries, vol. i. ut supra.

† MORRISON on Tetanus, p. 59.

tractiones, in quibus, inquit, illatum esse multum levaminis.

Affusio Aquæ frigidaë.—Proximum iis remediis, quæ in hoc morbo adhibentur, locum tenet affusio frigida, cujus effectus laudibus maximis elati sunt. Incertum tamen est, quomodo applicetur hoc remedium, adeo ut ægro effectum felicissimum inducat. Ex hujus morbi brevi noticia, quam HIPPOCRATES facit *, patet, ut sudorificum ejus effectum vellet obtinere, quippe qui moneat aliquid cardiacum calidum sumere, et ægrum statim in calidis stragulis involvere. Præterea patet, ut diaphoresin inferre vellet Aphorismo 21^{mo} lib. 5^{to}, in quo etiam dixit, maxima circumspectione adhibendum esse remedium. In hac re omnes fere medici vestigia ejus premere videntur, quos inter Doctor CULLENUS idem facere monet. Edita sunt multa exempla de ejus utilitate, sic ubi infertur diaphoresis, et solummodo ad hunc finem in ejus usu antiqui spectasse videntur. MORGAGNI, SCHENKIO teste, narrat, AVICENNAM hoc remedio usum esse, etiam ca-

* De Morbis, lib. iii. p. 224.

sum a VALESCO de Tarento eodem modo curatum. Effectus hujus remedii est haud parva totius corporis concussio, adeo ut inducantur perspiratio, relaxatio maxillæ omniumque musculorum, qui rigiditate præcipue afficiuntur. Hic tamen non solus finis est, quo hoc remedium præscriptum est: quibudam concussio, quam nervoso generi dat, tantum quæsita est. Ad hunc effectum talis copia aquæ magna interdum adhibita est, qualis deliquium animi inducerit. Dom. ARNALDI casum morbi memorat *, in quo in ægrum effundebantur vicissim viginti sex situlæ aqua plenæ, sed tales erant effectus ut magnum vitæ discrimen ægro esset ex viribus prostratis. Sed postquam hæc signa abierant, mitigari inventus est Tetanus, et ex ejus usu pro duobus aut tribus diebus, adeo mitescit Tetanus, ut æger convalesceret. Quando affusio frigida hoc in modo præscribitur, maxima cura opus est; et Doctor MORRISON exemplum profert †, in quo æger vitam efflat paucis minutis temporis post secundam vicem. Ab ejus usu desistere igitur necesse est,

* Edin. Med. & Surg. Journal, vol. iv. p. 45.

† On Tetanus, illustrated by cases, p. 45.

cum multum molestiæ inferat, et signa haud mitescant post primam aut secundam vicem.

Antispasmodica.—Quanquam hæc remedia in curando Tetano olim maximam attentionem occuparunt, nunc prorsus negliguntur, et maximam existimationis partem, quæ quondam gaudebant, pendere probabile est, ex eorum conjunctione cum opio. Præterea, probabile est, morbum in quo administrabantur, verum Tetanum haud fuisse, sed subspeciem Hysteriæ. Camphora interdum cum opio conjuncta adhuc præscribitur, et ex optimo testimonio haud parva vi pollet.

Narcotica.—Hujusmodi remedia pro multis annis largissime adhibita sunt in Tetano curando; et hisce curationis spes nituntur, præsertim opio, quod aliis multo præstat et est magis sub nostra potestate. In tempore etiam BONTII, opium administrari videtur, magnis in dosibus, cujus in ope, magna fides datur: enim inquit, “ sine hoc (opio), certissimum est, evadere non potest æger.” Post ejus tempus, opium maximo in usu fuit, et experientia probavit, huic quam aliis magis confidamus. Modus operandi esse videtur;

cum adhibetur satis magnis in dosibus, utpote generis nervosi irritationem sedare, et paroxysmi remissionem promovere. Ad hoc propositum purgare alvum oportet, calomelane cum infuso sennæ et sulphate magnesiae, aut aliis purgantibus satis pollentibus; deinde magnis dosibus opii incipere. Quatenus adhiberi potest, dictu difficile est; et quantitas adhibita, ex multis casibus editis, abnormis quidem et incredibilis est. Omnium insignissimus est casus, quantum scio, quem Doctor CHRISTIE retulit*, in quo, spatio quadraginta dierum, æger sumere dicitur libras tres et uncias duas tincturæ: cum duabus drachmis et semisse incepit, quam dosin gradatim increvit ad tres drachmas, quaque secunda hora. Hæ doses magnæ pro aliquibus diebus administrabantur. MORRISON mentionem facit medici, qui pro prima dosi unciae dimidium dedit. Ubicunque vero obtinetur signorum remissio, effectum hujus remedii intentius observare oportet; casus enim Doctore HOME inter prælegendum narratur, ex testimonio Doctoris PERCIVAL, in quo, in iisdem dosibus magnis adhibito remedio, æger in lecto

* Edin. Med. & Surg. Journal, vol. viii.

mane repertus est mortuus, ut putatum est, ex venenosis opii viribus.

Non modo interne adhibetur opium, sed quoque externe commendatur, utpote circa maxillam inferiorem, musculosque colli. Effectus tamen ejus, medicis haud suadent, in ejus usu persistere. Doctor LIND* autem casum singularem memoravit, in quo spasmi instanter mitigati sunt, opium applicando spinam versus, sed applicatione amota, eadem vi redierunt, idque sæpe. Eq. GILB. BLANE casum etiam narravit, in quo applicatæ sunt duodecim unciaë, idque cum levamine. Contra vero, Doctor MOSELEY† sua experientia dicit, opiata externe applicata haud minimum utilitatis attulisse.

Singulare et mirum apparet cur Tabacum in usum frequentius et latius haud venerit, quod tales insignes dotes exercet in animali œconomia: quippe quod, ejus operatione, insignia morbi indicia, utpote spasmos solvat, statumque alvi maxime afficiat. Duo medici nuperrime tamen attentionem medicorum revocarunt ad hanc plan-

* Vide Med. & Phys. Journal, vol. vii. p. 125.

† On Tropical Disorders, p. 494

tam, ejusque vires in hoc morbo: et quamvis eorum experientia parca est, dum alter duos casus, alter unum tantum vidit, in quibus tabacum pro remedio adhibitum est, tamen ex insignibus effectibus in casu Doctore O'BEIRNE narrato*, ulteriore investigatione dignissimum est. Hic medicus hanc plantam includere in materiam Medicam collocavit operam, et sub investigationibus, prope ad decimum septimum seculum, invenit, pro remedio adhibitum esse contra intestinorum spasmos. Nihilominus tamen medici hujus remedii fortasse usum abhorrebant, etiam in hoc intractabili morbo, ex periculis, quæ interdum secuta sunt ejus usum; quamvis scriptores de materia medica omnes consentiunt in ejus dotes celebrando generaliter in genus nervosum, sed præcipue in alvi statum. In casu Doctore O'BEIRNE narrato, opiata, purgantia, olei terebinthinæ injectiones, pro quibusdam diebus sine levamine administrantur, et alvus manebat pertinaciter astricta, necnon spasmi ingravescebant, et in frequentia et vi, donec tabaci injectionem tentare inductus est; cujus ex secunda vice, alvus solvitur,

* Dublin Hospital Reports, vol. iii.

et brevi omnia in melius vertuntur. Quamvis auctoris * alterius casus neque ita notabilia habent signa, neque fusius narrantur, ut satis perspicui redduntur rationis tractandi effectus, tamen hortantur ulterius periculum hujus remedii facere.—Sed ut hoc tentamen jam ultra solitos limites increvit, ita ei finem libenter imponam.

* Vide a paper in Edin. Med. Chir. Trans. by Dr GARDINER.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 1. linea 2.	<i>pro</i> hi,	<i>lege</i> hic,
3. — 14.	— protulerint	— protulerunt
11. — 7.	— prodere	— veluti
12. — 12.	— pendet	— pendent
14. — 16.	— legitur,	— leguntur,
16. — 3.	— induci,	— produci,
17. — 23.	— mortes	— mortis
19. — 14.	— suffui	— suffusi
21. — 9.	— occurebat	— occurrebat
24. — 19.	<i>post</i> dixerit <i>pro</i> . <i>lege</i> , et <i>post</i> levando <i>insere</i> .	
29. — 5.	— agitur,	<i>insere</i> hoc modo
... — 6.	<i>pro</i> augetur,	<i>lege</i> augeri,

et breviter omnia in modis veritatem. Quamvis
 auctoritas auctoritas casus neque in notabili ha-
 bent signa, neque finis narratur, ut satis per-
 spiciat remanent rationis tractandi effectus, in
 man hactenus utriusque rationis finis remanet
 facit. Sed ut hoc continetur jam ultra solutio il-
 lites incipit, ita et finem libenter imponam.

INAGGRIATA

* Vides a paper in *Phil. Med. Chir. Trans.* by Dr. Gar-
 diner.

FEBRE INTERMITTENTE

FINIS. — *Intermittent fever* is a disease
 characterized by a regular recurrence of
 the fever, and is attended by a
 peculiar state of the system.

Age	Sex	Time of day	Duration	Character	Remarks
14	Male	10	12	Intermittent	First attack
14	Male	10	12	Intermittent	Second attack
14	Male	10	12	Intermittent	Third attack
14	Male	10	12	Intermittent	Fourth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Fifth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Sixth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Seventh attack
14	Male	10	12	Intermittent	Eighth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Ninth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Tenth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Eleventh attack
14	Male	10	12	Intermittent	Twelfth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Thirteenth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Fourteenth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Fifteenth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Sixteenth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Seventeenth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Eighteenth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Nineteenth attack
14	Male	10	12	Intermittent	Twentieth attack



